

QUÆSTIONES

de re Morali—Canonica—Liturgica

CASUS MORALES:

Carolus miles noluit accedere ad Communionem, quia se reum iudicabat de gravi iudicio temerario: nam cum ad castra iret noctu, vidit non ita longe alium militem cum quadam muliere, qui amplexi inter se sedebant in deserto, nec ipse eos poterat agnoscere propter noctis tenebras, et valde cupiebat scire qui essent.

Quaeritur :

Primo: Quid requiratur ut quis fiat reus de mortali peccato quoad iudicium temerarium.

Secundo: Liceatne alicui quendam iudicare sine ullo peccato quamvis signa peccati ipse videat.

Tertio: Quanam differentia sit inter iudicium temerarium et suspicionem temerariam.

Quarto: Propter desiderium agnoscendi illas personas inter se amplexantes in casu nostro, sitne Carolus dicendus reus de gravi peccato in suo iudicio.

AD PRIMUM QUAESITUM RESPONDEO :

Constat ex verbis Christ apud Lucam VI. 37 iudicium temerarium perfectum et simul plene deliberatum de gravi malo proximi, esse peccatum mortale contra iustitiam. Ratio est, quia gravis injuria irrogatur proximo, et cum sine sufficienti causa habetur improbus sicque perperam contemnitur.

Tamen ad peccatum mortale committendum, iudicium debet esso 1o, firmum, seu citra dubio et sic iudicium differt a dubio, ab opinione, et a suspitione; 2o, debet esse plene deliberatum quia secus deest elementum essentielle ad constituendam gravem imputabilitatem; 3o, de re graviter infamante personam determinatam et cognitam, quia secus deest elementum essentielle in objecto ad gravem imputabilitatem constituendam; 4o, innixum insufficienti fundamento, seu sine morali de re certitudine, quia nemo malus nisi probetur. Verumtamen, iudicium non erit vere temerarium si indicia magnam habent probabilitatem, etsi non omnino sufficiant ad certitudinem, quia

morali certitudo et magna probabilitas parum distant, et ideo **iuxta theologos** gravi non censetur injuria judicare certum, quod est valde probabile. Sed in praxi iudicia temeraria plerumque excusantur a mortali, sive quia fundamentum judicatur sufficiens, sive quia non iudicia, sed suspiciones tantum habentur, sive quia non plene advertitur ea esse temeraria, sive quia malum non est grave.

AD SECUNDUM:

Distinguendum est: Iudicium ferri potest in intentionem agentis vel in ejus actum externum. Nulli licet alium iudicare de ejus intentione nisi sit ex officio. Ut quis possit licite, ait Angelicus, iudicare de intentione, iudicium ejus debet esse de his in quibus habet auctoritatem, aliter iudicium erit usurpatum. Et sic explicantur verba Christi: Nolite iudicare, nolite condemnare. Quoad actum externum seclusa intentione agentis, dicendum quod licet alicui ferre iudicium, sed quando loquimur de iudicio temerario, potius intelligere volumus iudicium circa pravitatem intentionis, quod ut iam diximus numquam licet.

AD TERTIUM:

Iudicium temerarium differt a suspicione temeraria, quia suspicio habetur quando ad credendum illud inclinatur, sine tamen vero assensu. Sic iudicium temerarium differt a suspicione temeraria quae est suspensio quidem iudicii cum propensione tamen iudicandi sine sufficienti motivo alium esse malum. In quantum ad malitiam tam iudicium temerarium quam suspicio temeraria sunt prohibita ut numquam possint fieri. Veritas primi patet ex dictis ad primum; veritas autem secundi patet ex eo quod etiam suspicione temeraria irrigetur gravis injuria proximo Quod tibi non vis alteri ne facias. Immo, ait Sanctus Thomas, suspicio temeraria habet diversos gradus, quia quanto magis procedit suspicio, tanto magis est vitiosa. Est autem triplex gradus suspicionis: primus quidem gradus est ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat; secundus gradus est cum aliquis pro certo malitiam alterius aestimat ex levibus indiciis; tertius gradus est cum aliquis iudex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum. Sanctus Thomas non dubitat asserere quin hoc ultimum directe ad injustitiam pertineat et ideo sit peccatum mortale.

AD QUARTUM:

Tota quaestio versatur circa desiderium agnoscendi illas personas inter se amplexantes. Si Carolus voluit agnoscere personas ex mera curiositate, non videtur adfuisse in hoc peccatum grave; si vero ut postea eas personas iudicaret et condemnaret de earum intentione, objective loquendo, Carolus potuit reum esse de peccato gravi quia hoc evenire potuit ex quadam malevolentia in proximum, contra charitatem. Iudicia enim et suspensiones saepe proveniunt ex perversitate affectus, nimirum a) ex conscientia propriae malitiae, unde facile aliquis de aliis malum opinatur, secundum illud Eccle: "In via stultus ambulans cum ipse sit insipiens, omnes stultos aestimat". Et ex malo affectu ad alterum; cum enim aliquis contemnit vel odit aliquem aut irascitur vel ex invidia ex levibus signis opinatur mala de ipso, quia unusquisque facile credit quod appetit. Hinc Angelicus 2, 2ae q. 60 art. 3 concludit: "Etsi suspensiones mali vitare non possumus quia homines sumus, iudicia tamen continere debemus".

* * *

Paulus et Philippus inter sese conviciis laedebant ambo irati: ille coram decem audientibus vocavit hunc adulterum, dum talis non erat, et hic animo vindictae vocavit illum furem, dum talis non erat. Joseph unus ex audientibus e suo servitio paucis post diebus dimisit Paulum, qui aurificinam suam administrabat. Philippus, audito sermone sacro de detractioe, accessit timoratus ad confessarium, qui, audita confessione, inquit: "Ad nihil tenebris, quia quod ille tibi fecit ipse ei feciste," et eum absolvit.

Primo: Quoad moralem iustitiam, quomodo explicanda sit aequiparatio.

Secundo: Quatenam virtutes offendat detractor vera dicens.

Tertio: Confessarius sua ratione fundatus, iudicaveritne recte et iuste de casu Philippi.

Quarto: Quis gravior iudicandus sit Paulus an Philippus quoad damnatum causatum.

Quinto: Philippus ob suspensionem malae famae a se Paulo affixae, obligeturne inquirere de causa, qua Paulus remotus est a servitio Josephi.

AD PRIMUM QUAESITUM RESPONDEO :

Triplici modo aequiparatio secundum Angelicum explicatur quoad iustitiam moralem : scilicet :

Primo modo : quaerendo si sint plures species iustitiae : hoc supposito, quodnam sit objectum et cuius iustitiae in specie ordinem qui in qualibet specie invenitur. Tres enim sunt species iustitiae ratione habita relationum quae in societate civili reipsa existunt : iustitiae nempe generalis vel legalis quae inclinatur omnes homines ad reddendum communitati quod ipsae debetur et iustitia particularis quae inclinatur ad reddendum singulis quod ipsis debetur ; et iustitia distributiva quae regit ordinem totius ad partes. Hinc ex hoc primo modo, aequiparatio explicatur in hoc quod est iusta moraliter .

Secundo modo : ex objecto cuiusque iustitiae in specie. Nam iustitia supponit notionem iuris, quod est ejus objectum. Jus sensu proprio et primario significat personae potestatem moralem inviolabilem aliquid faciendi vel exigendi ; hoc sensu dicimus : utitur iure suo ; secundo significat id, quod iustum aequale seu quod alteri debitum est. Iam vero ius prout significat id, quod alteri debitum est, constituit objectum iustitiae.

Tertio modo : aequalitas explicatur ex ordine qui extat ex tribus speciebus iustitiae. Nam in communi ratione iustitiae omnes univoce conveniunt, cum tria elementa ad essentiam iustitiae requisita in omnibus reperiantur ; tamen in eo differunt quod ratio iuris et debiti quod respiciunt, sit essentialiter diversa et pari modo aequalitas quam statuunt inter debitum et acceptum sit specificè diversa.

AD SECUNDUM :

Peccatum detractionis in casu est certe contra charitatem. Utrum vero sit etiam contra iustitiam commutativam non omnes conveniunt ; sententia valde communis tamen affirmat.

AD TERTIUM :

Certum est confessarium in casu male se gessisse. Ut rite **Sacramentum poenitentiae** administret confessarius debet inquire de dispositione poenitentis. Philippus poenitens objective loquendo mortaliter peccavit et ideo de suo peccato se poenitere debet et paratus esse reparare iniuriam illatam Paulo dummodo

verò Paulus ex sua parte sit etiam paratus ad famam reparandam Philippi. Adesse potuerit tamen causa excusans ex parte Philippi a restitutione famae si ipse antea diffamatus est a Paulo qui non vult iniuriam reparare. In hoc casu, uti asserunt theologi, adest quaedam compensatio: et obligatio reparandi ex parte Philippi differi potest donec alter famam resarcire paratus sit. Hoc tamen confessarius inquirere neglexit et ideo damnandus.

AD QUARTUM:

Secundum quod adulterium respicit praeceptum gravius quam furtum, sic videtur quod Paulus gravius iudicandus est. Sed quoad effectus videtur Philippus gravius peccavisse. Nam per hoc quod Philippus vocavit Paulum furem, Paulus aliquod damnus passus est et ideo gravius iudicandus est Philippus quam Paulus.

AD QUINTUM:

Per se ex iustitia Philippus tenetur dubium remove et ideo inquirere utrum calumnia sua in Paulum fuerit vera causa damni. Sed per accidens Philippus non tenetur ex iustitia hoc inquirere. Nam etsi ejus actio fuerit vere iniusta et forsar etiam causa efficax damni, actio non fuit theologicè cupabilis, quia damnum utpote non praevisum non fuit illatum in conscientia. Philippus nullo modo advertere potuit praesentiam domini ipsius Pauli. Nihilominus ex caritate, Philippus, cum certus sit Paulum non esse furem, debet adire Josephum et ipsi narrare factum, sed tantum ex caritate, et si adhuc causam remove possit, ad hoc tenetur tamen vero non cum gravi incomodo.

QUAESTIONES CANONICAE:

Quandonam et ubinam impertiri possit benedictio nuptialis.

Benedictio nuptialis distinguitur duplex: altera simplex, quae habetur in Rituali Romano; altera solemnis quae habetur in Missali.

Solemnis consistit in tribus orationibus, quarum duae dicuntur post Pater noster, tertia vero post 'Ite Missa est' vel 'Benedicamus Domino'. Non licet dare solemnem benedictionem extra Missam nisi habetur speciale privilegium. Ex canonicis 1101, 1102, 1108, 1143 sequitur ut sollempnis benedictio

nuptialis dari nequeat a) si mulier eam iam in alio matrimonio accepit; si matrimonium celebratur tempore clauso, nisi adsit licentia Ordinarii; si matrimonium celebrandum est mixtum. Hortandi sunt sponsi ut in Missa nuptiali communicent.

b) Benedictio simplex debet dari in ecclesia vel oratorio publico aut semi publico, non autem in domo privata neque in ecclesia vel oratoriis seminarii vel religiosarum nisi ex licentia Episcopi.

* * *

An canonico iubilato, licet non intervenienti, debeatur portio emolumentorum provenientium ex associatione cadaverum et ex respectivis funeralibus in casu.

Tubilatus habet ius tum ad fructus praebendae tum ad distributiones etiam inter praesentes, nisi quoad istas obstet vel expressa fundatoris aut pii oblitoris voluntas vel ecclesiae statutum aut consuetudo (Can. 422 p. 2).

QUAESTIONES LITURGICAE:

Preces post unamquamque Missam privatam etiam de Requie, ex Decreto Leonis XIII. f.m. ubinam sint dicendae, quomodo sint recitandae, et quandonam omitti possint.

Ubinam sint dicendae.

Celebrans recitato ultimo Evangelio, manibus junctis, vel directe per viam breviorē descendit ad medium vel rursus ascendit ad medium altaris, ubi Cruci caput profunde inclinatur et vel ad secundum altaris gradum vel in planum descendit ubi genuflexus sive in ora suppedanei sive in infimo altaris gradu cum populo aut saltem cum ministro ter recitat Ave Maria cum Salve Regina et versiculis, deinde Orationem atque invocationem Sancti Michaelis Archangeli cui addatur trina invocatio Cor Jesu etc. (S. Cong. Rituum, 6 Jan. 1844, 18 Jan. 1885).

Quomodo recitandae sint.

Clara et intelligibili voce cum populo. Submissa voce in Oratoriis Communitatis Religiosae quando ipsa Communitas vel lectionem meditationis vel S. Officium recitat.

Quandonam omitti possint.

Quando Missa celebratur cum aliqua solemnitate. Vide Decreta S.C. Rituum, 19 Jan. 1906, 8 Jun. 1911.

* * *

In Ecclesia Z, inter cantum Hymni "Te Deum" in nocte Nativitatis D.N.J.C., Parochus, accepto velo humerali, defert processionaliter Imaginem Divini Infantis sub umbrella. Cum autem ad Altare pervenerit, Imaginem ponit in eodem throno, ubi alias SS. Sacramentum publicae adorationi exponi consuevit. Thronus vero est super tabernaculum positus, ita ut idem tabernaculum pro basi inserviat. Tu quid malum observas contra modum agendi hujus Parochi?

Interrogata S.R.C. Anno 1901 (D. 4079 ad IV) ad liceat imaginem seu parvam statuam Jesu Infantis a praesepe remove et processionaliter per Celebrantem ad altare majus deferre cum velo humerali et sub umbrella respndit: "Nihil obstare quominus simulacrum processionaliter deferatur, absque velo humerali et sine umbrella".

Nec licet ponere Imaginem Divini Infantis super Tabernaculum sed in medio altaris ad pedes Crucifixi. (Vide Concilium Reg. Melit Append. XI, nr. 7).

C. BONNICI.

ACKNOWLEDGMENTS

VITA E PENSIERO, Rassegna Italiana di Cultura, Anno XXX, Maggio, Giugno, Luglio, Agosto.

RIVISTA DEL CLERO ITALIANO, Anno XXVIII, Maggio, Giugno, Luglio.